

Q.K. 366, 5.

Q. B. V. D.  
De

II c  
466

# ATLANTIDE

ad

## TIMÆUM atqve CRITIAM PLATONIS,

x 1860/187

*Differet*

In Almâ LEUCOREA,

PRÆSIDE

GEORGIO CASPARE  
KIRCHMAJERO,

Orator. Prof. Publ. Ord. Philosoph.

h. t. Spect. DECANO,

M. JOHANN. CHRISTIANUS BOCK/  
Grimmâ - Misnicus,

*Ad D. VII. Martii, in Auditorio Majori,*

*horis matutinis,*

ANNO c13 13c LXXXV.

\*\*\*\*\*

WITENBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

84

*Vra stanzis  
re envid  
Diz  
Vobleroffa  
Ph. Cand.*



ATLANIDE

TIMAEUM sive CRITIAM

PLATONIS

GEORGIO CASPARE



\*\*\*\*\*

*Handwritten notes in cursive script, likely a library inventory or acquisition record.*





B. C. D.  
De  
ATLANTIDE PLATONIS.

PROOEMIUM.



*Insula* est, aut *Peninsula*,  
autoribus Ægyptiis, Græcis atque  
Romanis ATLANTICA dicta; cujus magnitudi-  
nem, incolas, mores, & instituta copiosissimè PLA-  
TO delineavit, pluribusq; sanè notis, quàm ullam  
aliam Orbis tum temporis cogniti partem dignoscendam reliquit.  
*Valdè igitur mirum* (verba Cæleberrimi Olai Rudbeckii, Viri ad  
ornandam ab antiquitate patriam *Sveonumq;* gentem nati, sunt ex  
cap. VII. Atlantic. §. 1.) *qui Geographi*, quorum primarium fuit in-  
stitutum, regiones Orbis inquirere, *in hujus loci investigatione cæcu-  
tire potuerint?* maxime cum alia loca innumera Scriptorumqve  
veterum de his sententias tam feliciter invenerint & interpretati  
sint; sæpè unâ aut duabus tantum rationibus, nec adeò validis, sæpè  
etiam nudis conjecturis ducti. *Atlanticam verò insulam, doctorum  
per plurimi sicco pede prætereunt; alii, testibus Ortelio & Ferrario,  
pro America habendam esse ducunt.* Maximam videlicet navavit  
operam Professor Regiæ egregiæ Academiæ Upsaliensis, ut evince-  
ret, *Platonem Sveciam indigitasse per Atlantidem*, insignem & spa-  
ciosissimam Peninsulam. Rudbeckianam hanc non ita pridem im-  
pugnare placuit doctissimo cuidam *Jano Bircherodio*, qui

publicato schediasmate Altorfi Noricorum Anno 1683. ostendere  
conatus est, *Platonē* aliunde cognitam *Americam*; propterea de *Orbe*  
*novo non novo* Dissertationem edidit haud obiter conscriptam, dum  
Germaniam obiret, cum Italia lustrandam. Utriusque expendemus  
quidem rationes, sed praecipuas duntaxat, dispecturi, *an, & quatenus*  
*Platonis mentem neuter horum non sit assecutus?* Antea examinabi-  
mus Platonica indicia & ad Naturæ normam revocabimus.

Sic PLATO in TIMÆO, edit. Marsil. Ficin.

Francof. Ann. 1602. vulgat. pag.

1044. & seq.

Νόμοις δὲ τοιούτοις χρώμενοι, (Ἀθηναῖοι) καὶ ἐπι-  
μᾶλλον εὐνομέμενοι, πάση τε πάντας ἀνθρώπους  
ὑπερβεβηκότες δεξιῇ, καὶ ἰσάπερ εἰκὸς γυμνήματα  
καὶ παιδείματα, θεῶν ὄντας. Πολλὰ μὲν ἐν ὑ-  
μῶν καὶ μεγάλα τῆς πόλεως τῆδε γεγραμμένα  
ἔργα θαυμάζεται, πάντων μὲν ἐν ὑπερέχει με-  
γέθει καὶ δεξιῇ. Λέγει γὰρ τὰ γεγραμμένα, ὅσῃν  
ἡ πόλις ὑμῶν ἐπαυσέ ποτε δυνάμιν ὑβριπορευομέ-  
νην ἅμα Ἰπὶ πᾶσαν Ἑυρώπην καὶ Ἀσίαν, ἔξωθεν  
ὀρμηθεῖσαν ἐκ τῆς Ἀτλαντικῆς πελάγους. Τότε  
γὰρ πορευσιμον ἦν τὸ ἐκεί πελάγος. νῆσον γὰρ  
πρὸ τῆς σώματος εἶχεν, ὃ καλεῖτε (ὡς φατέ ὑμεῖς)  
Ἡερικλέας σήλας. ἡ δὲ νῆσος ἅμα Διβύης ἦν καὶ  
Ἀσίας μείζων, ἐξ ἧς ἐπίβατον Ἰπὶ τὰς ἄλλας  
νῆσους τοῖς τότε ἐγίγνετο πορευομένοις. ἐκ δὲ πῶν  
νῆσων Ἰπὶ τὴν καὶ ἀντιπερὸ πᾶσαν ἠπειρὸν τὴν πε-  
ρὶ τὸν ἀληθινὸν ἐκείνον πόντον. — Ἰσέρω δὲ χρόνω  
σεισ-



σεισμῶν ἐξαισίῳν καὶ κατακλισμῶν γυρομένων,  
 μιᾶς ἡμέρας καὶ νυκτός χαλεπῆς ἐλθέσης, τὸ τε  
 παρ' ὑμῶν μάχιμον πᾶν, ἀθρόον ἔδου κατὰ γῆς, ἢ  
 τε Ἀτλαντὶς νῆσος ὡσαύτως κατὰ τῆς θαλάσσης  
 δῦσα ἠφανίσθη. διὸ καὶ νῆν ἀποργὴν καὶ ἀδιερεύνη-  
 τον γέγονε τριῖ πέλαγος, πληρῆς κατὰ βραχέος  
 ἐμποδῶν ὄντος, ὃν ἡ νῆσος ἰσομένη περιέχετο.

H. e. His legibus utentes & honestioribus formati institutis  
 (veteres Athenienses) omni virtutum genere praeceteris  
 omnibus excelluerunt; ut decebat eos, qui dijs geniti editiq;  
 essent. Multa quidem & magna vestrae civitatis opera  
 admiranda sunt, unum verò omnium magnitudine & vir-  
 tute excellit. Referunt enim scripta, quantam olim poten-  
 tiam vestra Civitas compescuerit simul toti Europae & Asiae  
 violentè illatam, & extrinsecus profectam ex Atlantico ma-  
 ri. Tunc enim mare illud erat navigabile, insulam habens  
 in ore maris, quod vos Herculis columnas vocatis. Illa ve-  
 rò insula Libyâ simul & Asiâ major erat, ex qua ad alias in-  
 sulas tunc profectis patebat aditus, ex illis autem insulis ad  
 omnem continentem, è regione jacentem verò mari vicinam.  
 -- Post hæc ingenti terræmotu, jugiq; diei unius & noctis  
 illuvione factum est, ut terra dehiscens vestros illos unâ o-  
 mnes bellicosos homines absorberet, & Atlantis insula sub  
 vasto gurgite mergeretur. Quam ob causam pelagus il-  
 lud propter limum, quem insula submersa excitaverat, nunc  
 relictum fuit.

In CRITIA hæc PLATO. f. 1100.

Πάντων δὲ πρώτων μνησθῶμεν, ὅτι τὸ κεφάλαιον

A 2

ἢν CN-

ἦν ἑννάκις ἔτη χίλια, ἀφ' ἧ γεγονώς ἐμηνύθη πό-  
 λεμος τοῖς θ' ὑπὲρ Ἡρακλείας σήλας ἔξω κατοί-  
 κῃσι, καὶ τοῖς ἐντὸς παῖσιν. ὃν δὲ νῦν διαπερθεῖν.  
 τῶν μὲν ἐν ἡδὲ ἡ πόλις ἀρχαῖα καὶ πάντα τὸν πό-  
 λεμον διαπολεμήσασα ἐλέγετο. τῶν δ' οἱ τῆς  
 Ἀτλαντίδος νῆσος Βασιλεῖς, ἦν ὅ Λιβύης καὶ Ἀσί-  
 ας μείζω νῆσον ἔσσαν ἑφ' αὐτῷ εἰνάποτε, νῦν ὅ ὑπὸ  
 σεισμῶν, δυσανάπορον πηλόν. τοῖς δ' ἐνθενδε  
 ἐκπλέσων ἐπὶ τὸ πᾶν πέλαγος, ὥστε μηνέτι πο-  
 ρεύεσθαι κωλυτὴν ὄραχθῆν. *H. e. Primum au-*  
*tem omnium commemoremus, quod summa fuerit annorum*  
*novem millium, ex quo bellum extitisse traditum est inter e-*  
*os, qui circa columnas Herculis habitabant, & eos omnes, qui*  
*ultra, quod in presentia enarrare oportet. Horum quidem*  
*dux fuit hac civitas, bellumq; omne, ut dicitur, confecit,*  
*Illorum autem Insula Atlantica Reges, quam insulam Libya*  
*Asiaq; majorem fuisse quandoq; perhibuimus, postea vero*  
*coenum ibi inpyium, submersa insula ex terræmotibus reli-*  
*ctum, quod quidem hinc illuc in mare navigantibus obstat,*  
*ne ultra enavigare liceat.*

In Dialogo eodem, qui à CRITIA nomen habet, plurimis expo-  
 nit circumstantiis naturam, qualitates, laudes Insulæ Atlantidis, de-  
 cemq; dividit in plagas, & enumerat nominibus adductis Reges ac  
 eorum regimen; è quibus primogenitus totius Insulæ vocatus *At-*  
*las*, unde pelagus cognominatum sit *Atlanticum*; alter voce patriâ  
*Gadirus*, qui extremas partes Insulæ sortitus fuerit ad *Herculis* co-  
 lumnas. Hæc, ut dixi, fusè singula describit *Plato*, usque ad Dialo-  
 gi ex-

giex  
 lisn  
 Z  
 Pri  
 aut  
 com  
 Por  
 co  
 tius  
 mil  
 am  
 rem  
 Cri  
 (-λ  
 lon  
 stic  
 stro  
 res  
 bo  
 ab  
 git  
 Ha  
 ni  
 ne  
 ce  
 tu  
 sto  
 ne  
 sa  
 ru  
 se  
 qu  
 le



giextremum. Λείπει ἢ τὸ πᾶλ. Quæstio movenda præjudicia-  
lis nunc & resolvenda:

*Utrum fabulam hîc narret Plato, an historiam?*

Primus tempore Platonicus interpres Crantor nudam, absque fabula aut allegoria, judicat historiam afferri à Platone, quem Platonici commentatores optimi sequuntur. Proclus equidem, Numenius, Porphyrius, & more suo μετὰ ἐξομῶν Origenes mirificas hoc loco somniant similitudines, ἀναγωγὰς & oppositiones; quas Marsilius Ficinus notat ad *Timæum*, c. 4. Qui in argumento *Critiæ* præmisso, minimè confictum somnium *Platonis*, sed verissimam historiam appellat. Primum enim asserit Philosophus divinus in *Timæo*, rem se miram & omninò veram relaturum: *Audi, Socrates*, (inquit *Critias* ibidem) *miram equidem, sed plenam veritatis historiam*, (λόγος μάλ' αὐτὸν ἀπὸ πάντων περὶ γε μὴν ἀληθῆς) quam *Solon septem Sapientum sapientissimus* recensabat. Erat enim domestico admodum amicus, Dropidis, proavi nostri. Avo autem nostro *Critiæ*, ut ipse nobis senex postea referebat, quandoq; narravit res gestas hujus urbis memorabiles, diuturnitate temporis interitæq; hominum oblitteratas. -- Referam priscam mihi puero traditam ab avo historiam. & quæ sequuntur. Proinde, ubicunq; fingit aliquid, vocare solet fabulam, sapientissimus Græcorum *Plato*. Hanc autem undè hauserit historiam, recenset diligenter, à majoribus nimirum suis ac gentilibus. Nam *Critias* ab avo *Critiæ*, hic à *Solone* patruo, qui illam literis mandavit; *Solon* ab Ægyptiorum sacerdotibus, hi autem in annalibus Ægyptiorum, ad quos provocabatur. Prætereà *Marcelli Proclus* de Æthiopum rebus attulit historias, in quibus hæc manifestissimè firmantur ac inserta sunt. Et, ne de fide dubitare possit aliquis, *Saiticos Ægyptiorum sacerdotes*, sapientiæ antiquæ promos condos, testes *Plato* etiam allegat. Quorum aliquis hoc nomine *Solonem*, & in universum Græcos, tanquam semper pueros coarguit, quòd res maximas ab Atheniensium civitate quondam gestas nesciant. *Platonis* censor adversariusq; *Aristoteles* lib. *περὶ θαυμασίων ἀκρομάτων*, non quidem nominat *Atlantidem*.

dem, describit tamen ab iisdem ferè qualitatibus ac situ, hisce verbis:

Ἐν τῇ θαλάσῃ τῇ ἔξω Ἡορκιλείων σηλῶν, Φα-  
σὶν ὑπὸ Καρχηδονίων νῆσον εὐρηθῆναι ἐρημὴν ἔ-  
χουσαν ὕλῳ τε παντοδαπὴν ποταμὸς πλωτὸς, καὶ  
τοῖς λοιποῖς καρποῖς θαυμαστῶ, ἀπέχουσα ἰ-  
πλείονων ἡμερῶν. ἐν ἣ Ἰπμισγούριον τῶν Καρ-  
χηδονίων πλεονάκις, ἀφ' ἧ τῶν εὐδαιμονίαν. ἐπί-  
ων γε μὴν καὶ οἰκόντων, τὰς πρῶτας τῶν Καρ-  
χηδονίων ἀπέπαυται θανάτῳ ζημιῶν, τοῖς εἰς αὐ-  
τῶν πλεοσομένοις, καὶ τοῖς ἐνοικόντας πάντας ἀ-  
φανίσαι, ἵνα μὴ ἀγαθῶσι μηδὲ πλῆθος συ-  
σραφῶν ἐπ' αὐτῶν Ἰπὶ τῶν νῆσον κρείας τύχη,  
καὶ τῶν Καρχηδονίων εὐδαιμονίαν ἀφέληται:  
*Extra columnas Herculis, ajunt, in mari à Carthaginensibus  
insulam fertilem, desertamq̄, fuisse inventam, quæ tam silva-  
rum copiâ, quàm fluminibus navigationi idoneis abundet,  
cùm reliquis fructibus floreat vehementer, distans à conti-  
nente plurium dierum navigatione: in qua cùm Cartha-  
ginenses quidam ob soli fertilitatem connubia agitare ac ha-  
bitare cœpissent, ferunt Præsides, ne quis deinceps insulam  
ingrederetur, pœnâ capitis interdixisse, incolasq̄, ejecisse,  
ne coitione, (si habitare istic pergerent,) factâ, insulae princi-  
patum consequerentur, & Carthaginenses eâ felicitate pri-  
varent.*

Accedunt alii ex Græcia Scriptores nobiles, Diodorus Siculus  
Bibl. l. 3. c. 5. *Africam versus permagna quedam jacet insula in va-  
sto pelago Oceani, complurium dierum navigatione, à Libya de-  
clinans in Occasum. Solum ibi est frugiferum, cujus magna pars  
assur-*



*assurgit in montes, nec exigua in campos se extendit, & haec pars  
 pulchritudine excellit. Idem postea, cum à felicitate, ubertate fru-  
 ctuum, temperieque caeli & ferarum omnis generis copia laudaf-  
 set Insulam, Ἰεῶν, καὶ τῆς ἀνθρώπων ἐμβωτηρίου appellat. *Alianus*  
 in *Hist. var.* 3, 18. *Europam, Asiam, Libyam, circumfusas* asserit O-  
 ceano, sed extra eas, continentem quandam infinite magnitudinis  
 existere, quae grandia animalia, & homines duplo majores & lon-  
 geviores nutriat, quam nostri sint. *Ibidem* esse magnas civitates,  
 diversa vitæ instituta, leges nostris nihilominus contrarias. Deinde  
 adjicit: *Hanc terram possidere grandem auri argentiq; vim, adeo,*  
*ut inter illos populos minoris pretii, quam apud nos ferrum habeat-*  
*tur. Confer. & Plutarch. lib. de facie in orbe Lunæ, Pomp. Mel,*  
*l. 1. c. 3. & lib. 3. c. 10. de sit. Orb. Plin. H. N. 5, 1. & Maximus in-*  
*primis Tyrius serm. 38. Idem ex Strabone patet; qui aliàs tam faci-*  
*lis in aliorum explodendis nulli non apparens, statuit, Arabiam feli-*  
*cem usq; ad Atlanticum extensam pelagus fuisse. Itaq; & loco, &*  
*incolis, & mari nobile nomen Atlas dedit. Sed de nomine mox spe-*  
*ciatim. Minimè negandum tamen, fabulosa quædam veris etiam,*  
*admixta in Platonica narratione esse. Tempori hoc condonan-*  
*dum & mortalium infirmitati, seu erroribus. Quemadmodum*  
*non semel iterumve Tacito, res Germanorum veterum tam seriò*  
*delineanti fabularum similis occasio imposuit, in describendis Sve-*  
*viæ extremis. Nemo igitur miretur, si Chronologiam absonam,*  
*Platonis, supra Noachicum diluvium, ipsumq; mundi conditum ex-*  
*tensam legerit acceperitq; gravia tunc temporis Atheniensium ad-*  
*versus Atlanticos suscepta bella, de templo aureo, Neptuno, de At-*  
*lantidis quadrato situ, ac similibus, & id genus alia observet. Ne-*  
*que enim rigidum Catonem agere, ac singula ad vivum refecare*  
*possis in gestorum antiquissimorum expositione. Fabulosas quip-*  
*pe istiusmodi narratiunculas intermiscere, veritati nil præjudicare*  
*potest. Qualia si Henricus Salmuthus cogitasset, causæ nihil ha-*  
*buisse ad Guid. Pancirol. memorab. l. 2. c. 1. p. 29 seq. scribere:*  
*Hæc fabulosa sunt; cum præsertim à Critia puero, inter cantilenas**

eam narrationem auditam fateatur: secundò, quòd pelagus tantam  
 terræ molem Asiâ & Africâ majorem absorbere non potuerit. Quas  
 rationes minimè Herculeas Rupertus, Polyhistor olim Noricus,  
 Christophorus Adamus, ad Valer. Max. dissert. 2. l. 4. c. 1. vocat &  
 non obiter elidit. Ego nihil moror nasum Atticum (sic verba ejus  
 habent,) quo Vir Cl. hunc Platonis locum suspendit; & cum ipse du-  
 bitet, num Plato per picturam & parabolam ad Civitatis statum ex-  
 primendum, h. e. philosophicè, an historicè scribere voluerit? Hæc  
 in parte mitiùs excipiendos esse veteres, humanitas, Platonicaq; sua-  
 det dictio: Μὴ πλασθέντα μῦθον, ἀλλ' ἀληθινὸν λόγον εἶναι, ver-  
 bis Plato protestatur simplicissimis. Sequuntur

## IDIOMATA ATLANTIDIS ET CHARACTERES.

Mens Platonis jam penitiùs scrutanda. Ex illius sensu (1) dicitur  
 Atlantis insula hæc ab Atlante. Nomen hoc & Regi competens  
 & monti. Vocem antiquissimam, origineq; Scythicam Cl. Rudbe-  
 ckius agnoscit c. 8. de Hyperboreor. insula §. 2. f. 366. Atli stirpe  
 clarâ oriundum denotat, ab Atte patre. Viderint etymologici Scri-  
 ptores igitur, an Adel/ Edel/ Edelmann non inde derivetur meliùs?  
 tot aliorum frustra somniis, apud Spangenbergerū, Noldenium, Mat-  
 the. Stephan. Ubold. Sinibald. Simonem Simonium & similes,  
 qui de Nobilitate ediderunt singularia, commemoratis. Cur ab  
 odio in terram & terrena Atlas dictus à Goropio Becano sit? non as-  
 seqvor. Sic ipse lib. 3. Hispanicor. f. III. Atlas, cum artium alia-  
 rum cognitione, tum navigandi peritiâ & observatione siderum tan-  
 toperè mortalibus præstiterit, sic dicebatur, quòd odisset terras & per-  
 petuò vacaret navigationi siderumq; contemplationi, filiisq; suas ab  
 astrorum nomenclaturam appellaret Plejades; & quæ sequuntur.  
 Filius Neptuni primogenitus Thoriq; nomine famigeratus in Sueo-  
 nia fuisse perhibetur ab Olao M. Wormio, Messenio, Scheffero, & O-  
 lao

lao Petri apud Nobiliss. Rudbeck, cap. 8. in Ogyg. §. 4. f. 356. Atlantis nomine Henochum indicari à paganis, censuit Morneus quidem c. 26. de verit. Relig. Christ. Abrahamum, inquit, Astronomiae peritissimum ex Ur Chaldaeopoli à Deo evocatum, demigrasse in Phœniciam & Planetarum cursum docuisse; quam scientiam inde ab Henocho, (quem Graeci ATLANTEM vocant, ) per manus velut accepisse docet ex Eupolemo, in libro de Judaïs. Proprius à vero tamen absunt, qui circa tempora Mosis celebrem Atlantem Regem statuunt, & ex Japheti domo ducunt. Non primus extitit Joann. Tzetzes in 5. Chiliad. hist. 5. de Atlante: Ἄτλας ἐν χεράσιν ἦν Οσίριδος & Διονύσου, Νῶε, ὅτι ἦν Ἑρμῆς τρισμέγιστος ὁ εὐρετής γραμμάτων; qui Hermetis Trismegisti σύγχρονον Atlanta vocat. Sed & Poetarum antiquissimus Hesiodus Theogoniâ vers. 510. cum seqq. notatu dignum locum testimoniumque offert;

Κέρον δ' Ἰαπετὸς καμίσφουρον Ωκεανίην  
 Ηγάγετο κλυμένην, κ' ὄμον λέχος εἰστανέβαινε  
 Η δ' εὐοί Ἄτλαντα, κρατερὴ φρενα γείνατο παίδα.

\* \* \* \* \*

Ἄτλας δ' ἔρπον, εὐρὺν ἔχει κρατερῆς ὑπ'  
 ἀνάγκης  
 Πείρασιν ἐν γαίης, πρόπαρ Ἑσπερίδων λιγυ-  
 Φώνων &c.

Puellam Japetus pulchram Oceanidem duxit Chymenen, & eundem lectum conscendit. Ipsa verò ei Atlantem magnanimum peperit filium. \* \* \*. Atlas verò cælum sustinet latum durâ ex necessitate, sinibus in terra, è regione Hesperidum argutarum stans. Idemque alibi, v. 746.

Τῶν πρόω' Ιαπετοῖο παῖς ἔχειτ' ἔργον ἔυρυν  
Ἐσηὼς κεφαλῆτε καὶ ἀναμάτησι χέρεσσιν. &c.

Ubi filius *Japeti* coelum latum sustinere dicitur, & stare capite (in pectus inclinato) indefessis manibus. *Japetionides* hic *Atlas* *Dionysio Petavio* part. I. Rat. tempor. c. 4. lib. I. *Cecrope* in *Attica* regnante, cum fratre *Prometheo* videtur nobilis *Astrologus* vixisse sub discessum ex *Aegypto* *Hebraeorum*. Consentit in *Chronologiae* & *genealogiae* tabulis *Rudbeckius*. Silentio non praeteriri debent illa etiam *Ovidii* *Metamorph.* l. 4. fab. 17.

Hic hominum cunctis ingenti corpore praestans  
*Japetionides Atlas*, fuit. *Ultima tellus*  
Rege sub hoc, & *pontus* erat, qui *Solis* anhelis  
*Aequora* subdit equis, & fessos excipit axes.

\* \* \* \*

Quantus erat, *mons factus Atlas*. nam barba comaeque  
In *sylvas* abeunt; *juga* sunt *humerique*; *manusque*;  
Quod caput ante fuit, summo est in mente cacumen;  
*Ossa* lapis fiunt.

Quibus ex duobus, licet fabulam interpolatis, locis colligit insignia exultans testimonia *Professor Regius* ibidem. Ad ipsius mentem plura dabimus nos infra. Nunc monendum ex *Lycophronis Cassandra* (peregregio poemate memorabiliumque rerum ex ἀδήλω mythicoque avo pleno) quam excellens urinator atque nauta fuerit *Atlantis* quoque filius:

--- --- ὅς ποτ' ἐν ράπιω οὐύτει  
Ὅποια πόρνος ἰσειεύς τετρασκελής  
Ἀσκῶ μονήρης ἀμφελυτρώσας δέμας  
Ρυθειμνιάτης κέπφος ὡς ἐνήξατο.

*Auda.*

*Audacter nempe urinando (Atlantides) olim cum cute sutâ revinctus corpus utrescorteo, & solus; ut aper quadrupes Hercynius (sic interpres, malim ipse Histrius,) Rhithymniates navit, ut larus (aquatica hæc avis,) fretum. Ab Hesperis in terra Libyæ Atlantem sacrum habitum fuisse, Maximus testatur Tyrius, sermon. 38. c. 225. p. 373. Ad quem locum multa ἀξιουμνημόνευτα Rudbeckius notavit in Ogygiis §. 3. f. 341. asseruitque in Sveonia, & non in Africa quærendum amplius Atlanta montem. Siquidem Apollodorus lib. 2. Bibl. p. 130. disertè referat, nullatenus in Libya, sed in Atlant. Hyperboreorum mala aurea Hesperidum ab Hercule relata. Conferatur idem in Atlanticis, seu c. 7. §. 5. Nos, misso caractere primo, ab Atlante nominali, ad secundum tendimus. Vocatur nempe Νῆσος, insula; à mari ergo undiquaque cincta. Plato certè nullum illi aliud, quàm insulare nomen, ubicunque memorat in Critia & Timæo, tribuit. Nec ab hoc sensu dimovet nos ratio Peloponnesi; quæ πέλοπος νῆσος, cum tamen sit peninsula, vocatur. Et si enim demus faciles Cl. Rudbeckio, provocanti ad Geographorum, Hornii potissimum, auctoritatem, insulam vulgariter & minùs accuratè jam de Chersoneso, jam Peloponneso etiam efferri; manet nihilominus hæc quæstio, an in presenti loco, (ubi semper νῆσος à Platone dicitur Atlantis,) idem nominis obtineat abusus? Aristoteles in mirabilibus non minùs νῆσων pluries appellat, plurium dierum navigationibus à continente separatam. Diodorus pariter, complurium dierum navigatione jacet insula in vasto pelago Oceani &c. Rem omnem Maximus Tyrius componit; qui, dum de Atlantis montis situ & natura agit: Libyes Hesperios incoluisse, ait, terram, in longum diffusam, mari cinctam undiq;. Quid opus igitur, discedere à manifestâ literâ Platonis? Idque ideò notandum, quia insulæ character hic Sveoniæ haud applicari potest. Tertium Atlantidis ἰδιώμα vocamus magnitudinem, quâ Asiam Libyamq; simul sumtam superabat. Hî δὲ νῆσος ἀμα Λιβύης ἢ καὶ Ἀσίας μείζων. Simul, inquit, Libyâ & Asiâ majorem esse. Quæritur, quid hic per Libyam, & quid per Asiam indigitarit Aristotelis præceptor?*

B 3

Quod

Quod Plato insulam Atlanticam Asiâ & Libyâ majorem fu-  
 isse dicat (verba inclyti Rudbeckii referimus ex cap. 7. §. 2.  
 fol. 140.) id equidem Viris doctis aliquid de Americâ suspi-  
 candum præbuit. Ut autem inveniri queat hujus argu-  
 mentationis robur, sciendum erit in primis, Asiæ vocabulo a-  
 pud Scriptores veteres intelligi Asiam minorem; seu, ut ap-  
 pellari solet, propriam à meridie mari mediterraneo, ad se-  
 ptentrionem verò Ponto Euxino comprehensam, 8. aut 9.  
 gradus latam, & in longitudinem à meridiano 55. usq; ad 60.  
 meridian. protensam. Provocat hîc ad Ortelij auctorita-  
 tem, & mox addit: Libyam propriè ita dictam 9. gradibus  
 non esse majorem; cum intra 22. & 31. gradum latitudinis  
 Geogr. in longitudinem verò intra 50. & 60 meridianum  
 contineatur. Ptolomæus ergò Africam in certas partes di-  
 videns, inter eas Libyam propriè ita dictam, & aliam Liby-  
 am majorem enumerat. Cui Ortelius plura veterum testi-  
 monia aliunde conquisita addit. Sanè ex his planum eva-  
 dit, quorsum hæc Atlantica cum terris alijs comparatione  
 Plato respexerit? nam Asiam minorem & Libyam propriè  
 ita dictam intellexit. Illud equidem largimur, apud veteres Scri-  
 ptores sæpè Asiam indefinite poni pro minore Asiâ, & Libyam pro Li-  
 bya sic strictè dictâ: hîc an idem fiat à Platone, quæritur? Initio  
 Platonianus attendendus scopus est, dum quantitatem maximam  
 Atlantidis delineare voluit his verbis, & potentiam illius Regum,  
 Copiis olim innumeris ex mari Atlantico profecta, propè  
 jam cunctam Europam Asiâq; obsederunt. -- In hæc  
 Atlantide (ut porrò in Timeo memorat Philosophus,)  
 insula maxima & admirabilis potentia extitit Regum, qui  
 toti insule illi, multisq; aliis, & maxime terræ continentis  
 parti, prætereà & his, quæ penes nos sunt, domina-  
 ban-

bantur. Siquidem interiori quoque Libye usq; ad Ægyptum imperaverunt, Europa verò usq; ad Tyrrhenum mare.

Προς, ὃ τρίτοις, ἐπὶ τῶν ἐντὸς τῆδε Λιβύης μὲν ἦρχον, ἄχρι πρὸς Αἴγυπτον, τῆς ὃ Εὐρώπης μέχρη Τυρρηνίας.

Agit hîc de tribus mundi partibus contradistinctis sibi, *Plato* manifestè; non igitur solùm de *Asia* minore, seu *Natolia*; nec de *Libya*, in strictiore sensu. *Libyam* nimirum in communi appellarunt Græci veteres, quam *Africa* totius nomine nos salutamus. Audiatur *Strabo* lib. 17. de Afr. pag. 824.

Περὶ ὃ τῆς Λιβύης ἐφεξῆς λέγομεν, ὅπερ συμπάσης τῆς γεωγραφίας λείπεται μέρος. De

*Libya* deinde loquimur, quæ nunc totius terrarum descriptionis pars superest. Et clara satis ista *Plinii* in præfatione ad lib.

5. H. N. *Africam* Græci *Libyam* appellavere, quæ mare ante eam *Libycum* incipiens *Ægyptio* finitur. Admodùm sollicitus pro genio istius seculi *Herodotus* in *Musa* 4. de internoscendis Orbis partibus:

Admiror, inquit, eos, qui distinxerunt *Libyam*, *Asiam*, *Europam*, inter quas non parùm differentia est. -- *Libya* seipsam monstrat, circumfluam mari esse.

-- *Asiam* compertum est, parem *Libya* esse. -- Neque possum colligere conjecturâ, unde, cùm una sit terra, trifaria sint ei nomina indita è mulierum cognominibus.

Sed posito, *Platonem* hîc de *Asia* minori *Libya*q; speciatim dictâ loqui; nihil tamen penitus lucrabitur, pro *Suecia* quicunque certat.

Primum etenim conjunctim *Asia* cum *Libya* spectatur à *Platone*:

ἢ ὃ νῆσος ἀμὰ Λιβύης καὶ Ἀσίας μείζων.

Deinde minor *Asia* 8. aut 9. gradus, *Libya*q; præse dicta 9. gradus comprehendit. *Suecia* interim extenditur ad 10. modò gradus.

Adde, quòd *Atlantica* utraq; illâ simul sumtâ, major prædicetur.

Haec.

Haecenus de caractere tertio. Post quantitatem qualitas Atlan-  
 tidis consideranda. Maximâ laudavit à fertilitate omniumque  
 rerum affluentiam hanc Plato insulam prolixius. Per multa  
 quoque insula ipsa (Critiae elogio) ad omnem vite usum  
 pertinentia producebat. Primum quidem omnia, quaecun-  
 que ex terrae visceribus eruuntur, & quae solida permanent,  
 & quae funduntur, quodque nunc nominatur solum, tunc  
 certè plurimum effodiebatur Orichalcum, multis ex insula  
 locis insigne metallum, tunc apud eos, excepto auro, pretio-  
 sissimum. Et quaecunque sylva producit architectis, fere-  
 bat abunde. Pascua quin etiam animantibus tam feris,  
 quam domesticis suggerebat. -- Tum quaecunque tellus  
 nunc odorifera nutrit, radices, gramina, ligna, liquentes  
 succos, flores ac fructus. Deinde ποματα, (Marsilius  
 Ficinus liberaliter pro suavi vitis reddidit humore) καὶ βρώμα-  
 τα καὶ ἀλείμματα Φέρων. Generosi potus genera,  
 quae cum unguentis terra haec protulerit, intelligo. Mox addit:  
 Accedebant & deliciarum gratiam fructus variarum arbo-  
 rum copiosissimi. Adcrant satietatis etiam solatia, bella-  
 ria, grata laborantibus. Haec omnia insula, quae quondam  
 sub sole erat, sacra, speciosa, miranda, uberrima produce-  
 bat. Alibiq; geminos è terra fructus ac fruges quotannis  
 colligebant incolae; (dis δὴ τὸ ἐνιαυτὸς τὴν γῆν ἐναρ-  
 ποιῶντο, χειμῶνος μὲν καὶ φέρων,) hyeme madebat  
 tellus pluviis, estate rivis ex aqueductibus irrigabatur.  
 Fiat applicatio ad Sueviam, per singula, & universim concludatur.  
 Animalium deinde, Asiae ac Africae familiarium, respectus habeatur.  
 Ελεφάντων ἢν ἐν αὐτῇ γένῃ πλεῖστον; Elephantorum ingens ibi  
 copia, vastum voracissimumque genus animalium. Nec quis hic boves  
 Lucas, aut rangiferos, pro Barris fingat. Character quintus insulae  
 Platonicae à situ peti potest. Ultra Herculis columnas in Atlan-  
 tico



tico Oceano ( *mare del Nort* dicto hodiè ) ad Austrum patuit  
 & inde transitus in alias vicinas insulas. Disertè noster: *ΤΟΠΟΣ*  
*ὅλης τῆς νήσου πρὸς νότον ἐτέτραπτο.* Virgilius  
 quid sibi velit, explorandus est. Sic VI. cecinit *Æneidos*, v. 795.

-- -- --  
*Facet extra sidera tellus*  
*Extra anni solisq; vias, ubi cœlifer Atlas*  
*Axem humero torquet stellis fulgentibus aptum.*

Itane *Atlantis* extrâ Solis vias? Absolum; nam inter Tropicos &  
 citra *Æquatore*m, torridam ad Zonam, quæri debet. Populi enim  
*Libyæ* vicini & *Ægypto*, siti juxta *κεκρυμμένην*. Vel igitur Poëta  
 per licentiam, *Augusti* in honorem lusit, & extremos Orbis limites  
 signavit; vel intendit indicem ad Borealia loca, & *Atlantem*  
 quendam *Hyperboreum* indigitavit. *C. Julius* videlicet *Britanni-*  
*am* detexit primus, postmodum Romana classis insulas invenit *Or-*  
*cadæ* & domuit. Dispecta est & *Thyle*, quam nix abdiderat & hy-  
 ems. *Tacit. c. 10. Agric. Illuc usq; tendere Naturam*, scripsit alibi  
 Romanus Eqves. Credo igitur *Virgilium* huc respexisse; quia ex-  
 tra Solis vias & Zodiacum ut sita *Thule* cognitaque hæctenus Roma-  
 nis fuerat; sic, ad polum Arcticum nec non Antarcticum incumbere  
*Atlanti* cœlum, ipsis videbatur. *ὑπερβολικόν* arguit & prædica-  
 tum, extrâ sidera tellus. Jam è diverticulo in viam.

*Sextus* & politicus character ab imperio, regentiumque & obtem-  
 perantium respectu addi debet. Imperium communioq; inter  
 illos viguit, *Neptuni* ex mandato. *Atlantis* genus univer-  
 sum ( *γένος τιμιον* ) in generatione maximâ conservabatur:  
 Rex antiquiori primogenitoq; semper relinquebat Regnum;  
 quod imperium per multa secula durabat. Divitiarum il-  
 lis copia immensa; incolarum animis magnificæ ac veræ co-  
 gitationes inerant. Spernebant omnia præter virtutem;  
 presentia faciebant parvi, nec efferebantur, sed tanquam  
 onus

onus aliquod existimabant auri atq; reliquorum abundantiam. Hæc & similia vel ad stuporem usque Critias, quæ brevitatis causâ prætermittimus. Et quamvis fidem superare videantur, hoc nihilominus epiphonemate ab illo obsignantur: τότε μὴ πλασθέντα μῦθον, ἀλλ' ἀληθινὸν λόγον εἶναι.

Septimus character à submersionis & diluvii ingentis alicujus tempore hauriri potest. Ante exitialem illam terræ illuvionem (ὕπερ τὴν μεγίστην φθορὰν, quam antea κατακλυσμόν Δευκαλίωνος καὶ Πύρρας appellabat,) Atheniensium civitatem belli pacisq; operibus & Legibus, tanquam præstantissimam excelluisse, dixerat Saiticus sacerdos in Ægypto. Posthæc (ὕστερῳ ὃ χρόνῳ) ingenti terramotu jugiq; diei unius & noctis illuvione factum est, ut terra debiscens vestros illos unâ omnes bellicosos homines absorberet, & Atlant. pelagus hoc propter absorptæ insulae limum relictum fuit. Quæstio hîc curiosa oritur, an, quia sub diluvio Deucalionis hæc submersio apparet, contigisse, quid de illa, & illius tempore habendum sit? Recenset Nonnius ad lib. Dionys. 3. tres κατακλυσμοὺς, in quo non convenit cum Xenophonte, qui V. libro de æquivocis enumerat; primum trimestrem, sub Ogyge præscò; 2. menstruum Niliacum sub Hercule & Prometheo. 3. bimestrem in Achaja, sub Ogyge Attico; 4. Thessalicum trimestrem, sub Deucalione; 5. partiter trimestrem sub Proteo Ægyptio, qui Paridi eripuisse fertur Helenam. Isidorus Hispal. tria memorat diluvia, 13. originum 22. capite. Particularia censenda hæc diluvia; universale quippe unicum Noachi tempore. Deucalionis quidem tale statuunt Lactantium secuti 2. de Orig. erroris 10. nonnulli. Dudum etiam sic Naso cecinit 1. Metamorph. fab 7.

Jamq; mare & tellus nullum discrimen habebant,  
Omnia Pontus erant, deërant quoq; littora Ponto.

Occu-

Occupat hic collem; cymbâ sedet alter aduncâ,  
Et ducit remos illic, ubi nuper arârat.

Ille super segetes, aut mersa culmina villa

Navigat; hic summâ piscem deprêndit in ulmo.

\* \* \* \* \*

Deucalion lacrymis ita Pyrrham affatur obortis.

O soror! ô conjux, ô foemina sola superstes!

Nos duo turba sumus: possedit cetera Pontus.

Certum est, ex uniuersa Græcorum pariter & Latinorum natione vix occurrere, qui majus aliud diluuium, quàm sub *Deucalione* referat, ne *Plato* quidem; qui errorem errat similem. Profani scilicet Scriptores, quæ apud *Chaldaeos*, vel *Aegyptios* legerunt, negligentes rationem temporum recentioribus antiquiora miscuerunt. Ex *Pompejo Trojo* igitur *Justinus* ad *Amphytruonis* tempora (*Mosai-*ca fuerunt hæc) majorem partem Græciæ absorptam à diluuiio fuisse refert. In *Dea Syria* *Lucianus* sub *Xysurrbi* nomine (*Assyriis* sic dictus *Noah* creditur) illuuiem describit. *Arnobius* lib. 5. *Varronianâ* comprobata auctoritate, ante consulatum *Hirti* atque *Pansa*, annorum millia nondum duo lapsa, i. e. ante Romam conditam, DCC LXXVI. *Deucalionis* inundationem contigisse. Certiora memorat *Cyrillus* lib. contra *Julian.* 1. *Alexandrum Polyhistora* & *Abydemum* quendam testes laudans ex Gentilium historicis, hoc de diluuiio. *Petavius* id rejicit in *Ann. Per. Jul.* 3185. part. 1. *Rat. temp.* l. 1. c. 7. Possemus hîc, si id ex instituto ageremus, ex *Pindaro*, *Apolloodoro*, *Diodoro Siculo*, *Pausania* & aliis afferre singularia non pauca de particulari cataclysmo hoc *Deucalionis*, quàm non rectè intellexerint eundem multi. Sed sententiarum imminet examen nunc; dum quaeritur:

18. 80

# An Plato per ATLANTIDEM AMERICAM indigitarit?

Plurimorum hæc opinio huc usque fuit. Vir eruditissimus, *Georgius Hornius* præ cæteris non levem, ut erueret *Americanas res*, impendit operam; qui 2. de orig. gentium *Americ.* lib. cap. 4. *Divinus*, inquit, *Plato in Critia & Timæo eam tradit, quæ Americanas origines evidenter aperiunt.* Sequenti pag. 86. *Quæ Saites tradit sacerdos, non alii, quàm America conveniunt. Illa post Insulas terra continens, quæ nisi America?* Præterea magnitudo *Atlantidis Americae par, quippe major Africâ simul & Asiâ.* -- Adeo, ut sanè, quæ de *Atlantide Plato dixit, si America minus, certè tam situ, quàm magnitudine conveniant.* &c. Superiori seculo *Zovingerus* in *Theatr. vit. hum.* l. 1. pariter interpretatus est *Platonem.* Celebratissimus *Matthias Berneggerus* qq. ad *Tacit. Agric.* 188. existimavit *Atlantidem Platonis Critiam nec non Timeum posse ad Americam accommodari rectè.* *Rupertum* supra jam laudavimus præconem hujus dogmatis; quantumvis ferè trepidus appareat ad *Maxim. Valer. Diss.* 2. l. 4. c. 1. pag. 300. his verbis: *Quid si iis etiam adfisterem, qui Indiam Occidentalem à Platone in Timæo, sub nomine Atlantidis, totâ Asiâ & Africâ majoris, quæ olim diluvio subversa sit descriptam opinantur.* *Dissertationem de America priscis cognita, in Academia Sorana curiosam publicavit Petrus Laurenbergius, Clarissimus Professor olim; qui sect. 97. hæc inter alia: Queris, quas Plato intelligat post Atlanticam insulas? Mihi sic videtur, esse amplissimas Mexicano sinui præjacentes, Cubam, Hispaniolum, Jamaicam, & alias. Ex istis insulis transiri ait in continentem alteram. Quæ hæc continens? aut fallor ego, aut America erit; cum non alia præter Americam nota sit uspiam continens hæc orbis parte.*

Pro

Pro autoritate huic dogmati, quod ipse approbat similiter, conciliandâ *Janus Bircherodius* in dissert. suâ cap. 3. Regii in Galliis Geographi, *Sansonii Abavilla*, tabulas commendat; quod *Atlanticam Platonis* ex Platonica sententiâ Americanam mundi plagam nominârît nuper.

RATIONES si requirat aliquis, has ferè proferunt, sed nimis generales, & non validè stringentes. (1) Docent *veteres notitiam omninò quandam novi orbis habuisse*. Hoc sensu præter alios, à nobis hæctenùs citatos, *Theopompum* quoque ajunt, de continenti ἔξω τῆς κόσμου τῆς τῆς introducere *Silenum*, qui has mundi partes, *Asiam, Europam, Libyam* nil esse aliud, quàm insulas Oceano circumdatas; sed continentem unicam, hanc verò ἔξω τῆς κόσμου τῆς τῆς; magnitudine rerumque omnium diversitate miram, inque eâ *Meropes* fuisse; ut colligitur post *Ælianum* quoque è *Strab.* l. 7. Deinde *Senecam*, Poëtam Tragic. huc intendisse in *Medea* digitum, dum cecinit v. 374. seq.

Venient annis	Pateat tellus, Thyphusq; novos
Secula seris, quibus Oceanus	Deteget orbes, nec sit terris
Vincula rerum laxet, & ingens	Ultima Thule.

Loca plura non cumulamus. Consequentiam desideramus potius probandam. Μέγα enim λίαν αἰτήματα: veteribus notitia aliis, præter *Asiam, Europam, Libyamq;*, Orbis alicujus concedenda; E. hi Scriptores protinùs Americam intellexerunt. E. per *Atlantidem America, nec alia pars Orbis denotatur*. Præterquam enim, quod totius Orbis plures hodiè enumerentur partes; ne *Europam* quidem *Asiamq;* versus *Ind. Oriental.* insulas perspectas satis habuere veteres. Rotunditatem terræ ponderantes interim, non difficulter conjecerunt, plures superesse adhuc partes habitabiles. Dixerunt igitur, quod quivis sciens alius Geographiæ, nec ignarus istiusmodi vicissitudinum in orbe, prædixisset. Ex presentibus futura prudentissimè augurabantur.

C 3

(2) Car-

(2) *Carthaginenses, Tyrios & similes, dominio maritimo ac nauticâ experientiâ clarissimos, non ignorasse Insulas Oceani Atlantici.* Sic nota est ex *Plin. H. N. 2, 67.* *Hannonis* navigatio, à *Gadibus* solventis, ad *Arabiaeq;* fines universam *Africam* præterlegendo, evagantis. Resp. Nec dum sequi, *E. in Americam* simul delati sunt. Nec ab antiquis illis seculis ad tempora *Hannonis V. C.* In *Austrum* & ex parte *Orientem*, non in *Occidentem* instituta navigatio *Carthaginensium*: quod fusiùs ostendit in *Descriptionis Ptolemaicæ* augmento, à secretis in *Brabantia* *Sedatu Wytstiet.* Quid? quòd paucissimas in recentiori *Asia Orientales* *Insulas* perspexerint; silentibus historicorum monumentis. Quanta quæso est à *Gadibus* ad littora *Americæ* distantia, in vasto & immani pelago, defectu acûs nauticæ in primis! Multæ aliæ, viciniore multò *Insulæ Oceani Atlantici, Hesperides, Acores, Fortunata* atque similes ad *Caput viride* protensæ,

(3) *Asia Libyæq;* simul sunt am quantitatem superari una ab *America Atlantide*; nec convenire illis aliam in Orbe. Resp. *Calculi & magnitudinis errorem à Platone* maximum commissum, docet ratio, & collatio locorum plurium. Quis obtinuerit, 5000. stadia tantummodò secundum longitudinem *Americam* patere? Qui *Asia* ne quidem ambitum noverunt, quomodò de quantitate ejus judicare potuerunt? Existimabimus *Agyptios Pænosve* longitudinem & latitudinem *Americæ*, ne quidem hætenùs tam perlustratæ, sedulò dimensos olim? *Afirmabimusne* bella cum *Atheniensibus Americanos* homines (ut fecerant *Atlantii*) gessisse? Superest *America*; sed merse dicitur diluvio *Atlantis.*

Sitne per ATLANTIDEM SVEONIA intelligenda? Resp.

Speciosè admodùm tueri hanc sententiam conatus est *Ciariss. Rudbe.*

*Rudbeckius.* Communia prætermittamus argumenta hæc : *Ad Occidentem atque ad Septentrionem loca tenuisse, partem orbis maximam Atlantides : continuis à mari montibus exporrigi in facilem planitiem : Templum in Metropoli, Upsalia, magnificentum, viciniam amœnam, circumductas passim fossas, terræ aggeres occurrere, fluentia dimanantia è montibus ; lignorum copiam, delubra deùm : primogeniti successionem, divisionem insule in X. plagas & similia, remota nimis judicamus, & recentiora longè, quàm quæ, seculo Platonis jam, oblivioni tradita fuerunt : qualia πολυμαθὲς τῶν Ἰουδαίων Vir urget Cap. VII. Atlant. §. 4. & inpr. 5. Ab Atlantis nomine invalida argumentatio. Sic Atl Mexicanis aqua dicitur ; quantumvis imbecilla Hornii hæc pro Atlantide Americana ratio. Columnæ Herculis haberent sub recessu aliquid, Septentrionem versus magis, quàm ad Gades à Natura stabilitæ, si à nostra mente mens Platonis dependeret. De divitiarum ubertate Sueciæ familiari certiora novimus, & Gryphis Hyperboreis modestiæ integumento nunc committimus ; quemadmodùm & fabulosa Edda, ac Snorroni. Singularia videntur illa, quæ politicos involvunt characteres Sueciæ accommodatos ex Platone ; si modò probari posset, eadem Evandri matris tempore, aut Agamemnonis, fuisse usu ibi, ubi hodiè. Adagii memoriâ, dulcis amor patriæ ; quid non fingamus amantes ? Commendabile Rudbeckianum studium pro patria ornanda : etsi centum ille rationes, (cap. 7. §. 7. f. 287.) quæ apud Platonem sub Atlantica nomine pro Sveonia ( Φαινοπέωνος, ) militant, amantibus solidiora minùs satisfaciant. Innumeras exsolveremus illi gratias, vel propter publicum, si argumentis probabilioribus opinionem hanc corroborasset : De Atlantica s. Sueonia plura nobis cognoscenda reliquit unus Plato, quàm reliqui omnes ; adeò, ut ad ea, quæ in Platone habentur, confirmanda non unus, vel alter Scriptorum nostrorum sufficiat, sed necessarij esse videantur penè omnes Norvegicarum, Danicarum, Islandicarum, Germanicarum, Britannicarum, Latinarum & Grecarum rerum Scriptores ; quorum singuli seorsim aliquid habent, nemo omnia, aut saltem tam multa, & quidem veritati*

AK No 466

22. 80

ritati consona, ut Platoni ullâ ratione equari possit. Grato interim id acceptamus animo, quòd unum aliis, tantum non omnibus, Platonem præfert in materie præsentis Nobilissimus Virorum. Ad Platonem igitur, quem  $\epsilon\pi\iota\sigma\tau\alpha$  vestigare nobis placuit, hinc provocamus, regulâ hâc usi; *Cuicunq; Orbis parti characteres, pro Atlantide, adducti à Platone rectè intellecto, non conveniunt, illa ex Platonis sensu minimè habenda est pro Insula Atlantide.* Jam subsumatur de *America Sveoniaq;*; & probationes in superius allatis applicentur.

Denique abs me si quis requirat statum famosissimæ *Atlantis*; facilius eidem, ubi non extiterit, quàm ubi fuerit? sim responsurus. Detur venia opinioni, si ostendero nò tantum ex Platone, sed ex antiquissimo *Homero & Sertorio Plutarchi*, nusquam præsentius *Atlantis* dem inquiri, quàm (1) in *Africa* adversus Austrum atque Occidentem tractibus maritimis vicinis, intrâ Cancris Tropicum & Æquatorum, hinc à *Libyæ* confiniis, extensis per Oceanum *Atlanticum*, & mare del Nort, ad *Hesperides & Fortunatas* Insulas ad *Acores* ac *Flandricas*, & ipsum *Caput viride* (vocatam *Cabo verde*) atq; concipi debere. Hâc in plaga mons celsissimus, *columna cæli* incolis, nubesq; supergressus *Atlas* pelago vicino nomen peperit. Ex insulis vicinis his in alias est transitus; hinc *Beatorum* olim insulæ fertilitasq; summa. Magna ibi auricopia & metallorum plurium, ad littora *Guineæ* usq;. Greges etiam Elephantorû *Æthiopiæ* non procul distatæ familiares. Bis annis singulis oryza crescit; hyems ibi tepida madensq; sine gelu, sine glacie. Hic versus Orientem maximè ac Occidentem pariter *Æthiopes*; quos nullibi invenias, si spectes ad occasum, certius. Nec alioqui facile intelligas *Homericum* hunc locum memorabilem, erroribus *Ulyssis* proprium ex *Odyss. A. 22.*

Ἄλλ' ὁ μὲν Αἰθιοπίας μετεκίαζε τηλόθ' ἔοντες  
Αἰθιοπίας τοὶ διχθαὶ δεδαΐαται ἑκατοὶ ἀνδρῶν  
Οἱ μὲν δυσσὺρ & ὑπερίον, οἱ δ' ἀνιόντι.


Hic hominum longissimè remotos & extremos nominat *Æthiopes*, bifariam divisos in Occidentalis Solis ac Orientalis. Ast quòd nos æstus indagandæ Insulæ abripuit? quàm dudum aquis obrutam fuisse affirmavit PLATO,

I. O. Δ.

W. M.



*Handwritten text in German script, including names like "M. JOHAN" and "GEOR K".*



*Handwritten text in German script, including names like "M. JOHAN", "GEOR K", "Director", "PI", "TIMA", "ATA".*

